



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Pastorale Missionariorvm**

**Verjuys, Jean-Baptiste**

**Antverpiæ, 1682**

8. An peste infectis viaticum administrandum sit cum periculo vitæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41565**

omnes absolvi, uti dici solet in naufragio, aut inopinato conflictu, aut simili aliqua necessitate.

### ARTICULUS VIII.

*Utrum peste infectis Viaticum sit administrandum cum vitæ periculo.*

**Q**uia non est tanta necessitas Sacramenti Eucharistiæ, quanta est Baptismi & Pœnitentiæ, aliquibus visum fuit ad hoc Sacramentum administrandum nullam esse in Parochis aut Missionariis obligationem, saltem cum tam magno vitæ periculo, quod in tali casu non potest non timeri. Nemo autem tenetur etiam ex officio, vitam corporalem exponere, nisi pro salute spirituali proximi: quæ salus ab hoc Sacramento non dependet, cum non conferat per se, sed præsupponat instrumentum primam gratiam justificantem. Quod confirmari potest ex declaratione facta iussu Gregorij XIII. ex petitione S. Caroli Borromæi supra relata articulo 4. ubi tantum fit mentio Sacramentorum Baptismi & Pœnitentiæ, quod ista debeant peste infectis à Parochis ministrari. Cum igitur nulla fiat mentio Sacramenti Eucharistiæ, non videtur esse ipse cum tanto vitæ periculo, obligatio. Pro quâ sententiâ citat Dianap. 3. tract. 4. de Sacramentis.  
Reso-

Resolut. 174. & p. 5. tract. 3. Resol. 53. Mol-  
fesium, Major, Marchium de peste & alios.

Respondetur tamen etiam ex officio, aut  
quasi officio incumbere Missionariis dare  
Viaticum peste infectis.

Prob. 1. Omnes fideles sub finem vitæ obli-  
gantur etiam præcepto divino (uti commu-  
nior est sententia) hoc Sacramentum recipere,  
ergo Parochi, & eorum agentes officium, uti  
sunt Missionarij, tenentur suis peste infectis S.  
Eucharistiam ministrare, debent enim suis sub-  
ditis cooperari ut præcepta divina observent.

2. Hoc Sacramentum licet non directè per  
se, per accidenstamen & indirectè aliquando  
causat primam gratiam, videlicet, si quis non  
fuiſſet in confessione sufficienter dispositus ad  
gratiam per dolorem requisitum, quod facillè  
contingit in tanta mentis perturbatione; tunc  
poterit per hoc Sacramentum primam gra-  
tiam accipere præviâ attritione debitâ, & sic  
salvari qui sine hoc damnatus fuisset.

3. Quia S. Eucharistia non solum instituta  
est ut sit cibus spiritualiter sumentem nutriens,  
sed etiam ut sit viaticum hominem confortans  
contra tentationes, quæ in ultimo mortis art.  
& præcipuè in infirmitate pestilentiae, quando  
est ab omnibus direlictus, solent ingruere.

Tandem etiam hoc confirmat praxis Ec-  
clesiæ, quæ valde ad hoc est sollicita, ut nemo  
ex hac vita sine hoc spirituali viatico discedat  
etiam tempore pestis; ac proinde grave scan-

dalum

dalum esset in populo, si Parochus hoc negligeret, & populum suum sineret mori sine viatico, quod signum est quod ad ipsius administrationem obligetur. Fateor tamen, quod hæc obligatio non sit tanta quoad hoc Sacramentum, quanta est quoad Baptismum & Pœnitentiam, quæ sunt per se magis necessaria. Et sic patet ad objectionem suprâ in initio hujus articuli factam. Et ad Confirmationem, quod tantum sit argumentum negativum, quod sumitur ex declaratione Gregorii Papæ; quod autem solum mentionem faciat illorum duorum Sacramentorum, ideo est quia ipsa sunt magis necessaria, unde non bene infertur, quod alia non debeant conferri, eo quod non sint adeo necessaria, sicut illa duo.

## ARTICULUS IX.

*Vtrum dari possit Viaticum aliquo instrumento.*

**A**liqui ut se præmuniant ab infectione in administratione hujus Sacramenti, propter periculum ex halitu & salivâ, si ipsum immediatè nudâ manu infirmo porrigerent, invenerunt varios modos sibi præcavendi, quos refert Chapeaville cap. 4 quæst. 30. & sequentibus: Et ex ipso Sylvius in supplem. q. 32. art. 3. concl. 4.

1. Modus